



[Faint, illegible handwriting on a blank page]



33

כיהור

Exercitatio Historica

ALTERA

De

DARIO MEDO,

In

Illustri Academiâ VVittebergensi

publicæ ventilationi

exhibita

PRÆSIDE

M. PETRO SCHULTETO,

Hamburgensi,

&

RESPONDENTE

MARTINO FRIDERICO HERMANNO,

Torgâ Misnico,

Ad d. XXIII. Maij, clc lxxiii.

in Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Bendt.



VIRIS

Amplissimo, Prudentissimo, Spectatissimo

DN. NICOLAO FUGMANNO.

Quæsturæ Belzigensis & Rabensteinensis
Præfecto meritissimo,

Ut &

Plurimum Reverendo, Humanissimo nec non Doctissimo

DN. MARTINO HERMANNO

Parocho Elsnicensium vigilantissimo,

Nec non

Pereximio, Honestissimo, ac Integerrimo

DN. PAULO HERMANNO

Civi ac Mercatori apud Torgenses
primario

Dominis Mæcenatibus, Patruo,
Patronis ac Promo.


Omni honoris animiq; cultu venerandis
primitias hæc Academicas

in

debita observantia declarationem

D. D. D.

Martinus Fridericus Hermann.



q. & p.



I.
Vamvis Sententia, quam in nu-
perâ Disputatione *DE DARIO MEDO*
DANIELIS exhibuimus, multis primo
intuitu nimiùm absurda videatur, mihi
tamen, si res penitiùs agatur, aliorum

opinionibus quam maximè videtur præferenda, cum
hæc non tantùm firmis innitatur rationibus, quas ex
parte attulimus, verùm etiam ab omnibus contra-
dictionibus possit liberari, quod in præsentia acturi
sumus, ut scilicet argumenta illa, quæ adversarii adeò
urgere solent, examinemus, aspersuri tamen alia,
Lectori fortassis amica; DEUS ità nostrum diriget
laborem, ut veritatem, quam unicè expetimus, asse-
quamur.

2. Caput causæ in eo ponunt illi, qui contra-
rium defendunt, ut evincant, Monarchiam Babylo-
nicam cum Belzafare esse finitam, verùm hæc negatâ
causâ omninò cadent. Cum verò illi suas alle-
gent rationes, cujus illæ sint valoris, paucis erit per-
spiciendum. *Clar. Wichmannus Rostochiensis*, qui *Chro-*
nologiam sacram emisit, in quâ *Scaligerum, Calvisium,*
aliosq; Viros maximos levi etiam datâ occasione per-
stringit, nimiùm contra nos agit; Sed *si re ipsâ etiam*
atq; etiam consideratâ fundamenta Viris præcellentissimis (ut
ipse loquitur) *opposita, quibus nititur, consulamus, & ea*
examinemus, non levi nos functuros operâ, persua-
sum nobis habemus.

A 2

3. In

3. In *Auctario Chronologiae suae*, in quo fusiùs ea, quæ de Dario Medo in Chronologiâ dederat, proponit, aliquot rationes ordine nobis objicit, ex quibus primam ex ipso Daniele hausit. Argumentum ità habet auct. p. 119. *Cujuscunq; Regis Babylonici regnum est divisum, traditumq; Medis & Persis, in eo vel cum eo desit regnum Babylonicum, atq; idcirco is est ultimus Babyloniorum Rex. A. De Belzafare verum & prius. E. est posterius. Majorem prolixè probat, dum refert Clar. Vorstij sententiam, scilicet tum Imperium extingvi, cum illud per vim occupat Rex alterius gentis, suoq; veteri regno, quod ante habuit, addit. Minorem probat ex Daniel. C.V. v. 28. Divisum est regnum tuum, traditumq; Medis & Persis. Verùm enim verò si argumentum consideremus, non tanti faciendum esse patescit. Majorem enim quod attinet, si simpliciter sumatur, falsam pronunciamus; si verò *verba* illa adjungantur, quæ ipse ad exitum alicujus Monarchiæ sibi postulat, admittimus. Minor itaq; quid valeat animadvertendum. Obvertit nobis Danielelem, sed hunc minimè nobis contrarium monstrabimus: anne enim ullâ ratione hoc ex dicto loco hauriri potest, quod Belzafarem extinxerit Imperator, qui jam aliud habuit Imperium? nisi Cyrum immediatè Belzafari successisse fingas, quod omninò falsissimum est, cum satis sit demonstratum, Darium Medum seu Nabonedum Berosi esse interferendum. Invertimus itaq; potiùs argumentum hoc modo: *Cuicunq; successit Rex, qui neq; ante Imperium habuit, neq; per vim occupavit Regnum, in eo Regnum extinctum non est. Subsumimus de nostro Dario Medo, & conclusio Antagonistis contraria inde emerget. Major adversariorum est. Minor partim clara est, partim ex priori Disputatione, & ex adhuc dicendis patebit.* Verba פריסת מלכותך ויהיבת למדי זפרס quo minus Enallagen aliquam inferant, nihil impedit: quam*

quam enim frequenter hoc aliàs fiat, tyronibus etiam ignotum esse non potest.

4. Explicò itaq; mentem, פריסת מלכותך id est ἐκλάσθη ἡ βασιλεία (hoc enim vox פריסת infert, R. Salomo Jarchi מלכותך הנהגתה hinc שלמה בן מלך ר in Commentario, quem inscribit יופי מכלל hoc nostrum פריסת explicat ex Esa. LV. 7. B. Luth. Brich den Hungerigen dein Brodt, vid. Marc. VIII. 19.) fractum est regnum tuum, hic absq; dubio notat, frangetur regnum tuum per Enallagen presentis pro futuro. Etiam si enim ex adversariorum hypothese loquamur, absq; Enallage res expediri non poterit. Rectè igitur B. Augustinus l. 17. de Civ. Dei, C. 18. ait: *More solito tanquam praterita narrantur, quæ futura prophetabantur.* & R. Salomo Jarchi ad Esa. LXII. 16. לשון נבואה לדבר על העתיד כאילו עשוי id est, consuevit Scriptura loqui de futuro, tanquam de praterito, vid. B. Glafs. Phil. Sac. lib. 1. tr. 4. f. 1 Can. 4. p. 226. & Gram. Sacr. p. 372. idem Exemplum occurrit 1. Sam. XVIII. 28. Jam de eo quaestio est, an etiam Regnum possit dici fractum, cum ad Darium pervenit? Hic duplici ratione responderi potest, (1.) Fractionem illam non statim ut utatam inferre Monarchiam, cum etiam tum, quando ad externos transfertur Regnum, dicatur frangi, sic 1. Reg. XI. 31. הנני קרע הממלכה מיר שלמה — ubi tamen Διγενεσις nullam dari contendit Scaliger. Sic cum Mauritius Cappadox, optimus aliàs Imperator, nisi virtutem labe avaritiæ deformasset, à crudeli Phocâ extingveretur, mansit Monarchia Romana, quamvis Imperium à Mauritio scissum optimè possit dici: vel si hæc non adeò arridet responsio, aliâ rem aggrediemur viâ, ut (2.) dicamus, non insolens esse in Scripturâ, extraneo Reges per saltum omitti, quod ipsi etiam facillimè concedunt. Exemplum manifestissimum est Dan. XI. 2.

quamvis Scaliger hunc in modum explicet verba: *Translatum est Imperium à Belzafare ad hominem Medi sanguinis Nabonedum, à Nabonedo Medo ad Cyrum Persam.* Etiam si de jure nostro cedere velimus, nostra sententia ex adversariorum etiam hypothese firmabitur.

5. Secunda Wichmanni nobis opposita Ratio hæc est: *Judei Nebucadnezari, filio ejus, & filio filij tantum servire debuerunt, E. Belzasar est ultimus Rex, & per Consequens Darius Medus cum Nabonedo idem non erit. Min. probatur ex Jer. XXVII. 7. & II. Par. XXXVI. 20. 21.* Sed an hæc Ratio ad destruendam nostram sententiam sufficiat, valde dubito: apponemq; locum Prophetæ citatum: עבדו אותי (נבוכדנאצר) כל הגוים ואת בנו ואת בן בנו ער בא ער ארצו גסהו. In quibus verbis particulam ער Wichmannus maximè urget, dum auct. p. 88. ita ait: *Judei servituri erant, per particulam ער usq; ad, usq; dum combinatur cum tempore visitationis Babylonice, Jer. 27. & תב regnare Cyri Persæ in Babylonia 2. Chron. 36. servitus.* Sed quid de hæc ratione habendum, paucis videbimus. Concedimq; equidem, nullã hinc Darii sive Nabonedi injici mentionem, cum hoc in loco tres tantum ex posteris Nebucadnezaris in lineã descendente numerentur, anne verò inde statim sequitur, Ergo alius, qui non est ex nepotibus Nebucadnezaris, non est Rex Babyloniæ? nullo modo: certum enim est, etiam hinc per saltum extraneos omitti, ut ante dictum th. 4. sed dum particula ער adeò urgetur, quærenda erunt exempla, quæ evidentiam nostræ evincant theses. Non jam acturus sum de loco Esræ IV. 5. quem clar. Mæstling in Chronol. p. 16. adversæ sententiæ magistris opponit, qui fortassis sufficere posset, ubi dissolutio Cyri, quæ dicitur omnibus diebus Cyri facta, connectitur per ער cum regno

regno Darii, cum tamen nulla fiat mentio Cambyſis
famoliſſimi aliàs Regis, qui Imperio Patris Ægyptum
adjecit, ut Juſtinus habet lib. I. C. IX. p. m. 30. qui VII.
& quod excurrit, annis Imperium adminiſtravit, cum
neq; fiat mentio Smerdis Magi, qui VII. menſibus Im-
perium tenuit, non de hoc loco, inquam, acturus ſum,
cùm in eo diverſitatem nescio quam Wichmannus de-
prehendat, quam tamen B. Luth. in illo וער, nunquam
invenit, dum ita reddidit verba illa. So lange Cores
der König in Perſien lebet/biſ an das Königreich Darii des
Königs in Perſien/ (Hic obiter notandum R. Salomo-
nem Jarchi ſucceſſorem Cyri Ahaſverum facere, cui
Darium dein ſucceſſiſſe perhibet, quod abſq; dubio
falſum eſt.)

6. Sed ſimile exemplum erit, quod Gen. XLIX.
c. 10. habetur. לא יסור שבט מיהודה ומחוקק מבין רגליו
וְעַד הַיּוֹם שִׁירָה הַזֶּה חִי וְיָבֵא שִׁירָה
Ben Iſrael, ער hoc in loco non vertendum eſſe *in ater-*
num, qui hanc paraphraſin nobis exhibet: *Non recedet*
ſceptrum à Judà, aut Legislator è medio pedum ejus in ater-
num, quia veniet Sèhilo: quò etiam inclinat Clar. Langius
intr. de annis Chriſti, Lib. II. C. X. p. 425. verba ipſius hæc
ſunt: *Alij alias explicationes dant, & mirum in modum ſe tor-*
quent, cum locus facillimus ſit, modò ipſius Scriptura, & non
interpretum, verba accuratiùs inſpiciantur, & perpendantur,
in quibus nulla plane difficultas eſt, modò recte vertantur. Ità
autem legendum eſt: Non auferetur Sceptrum à Judà &
Legislator ab inter pedes ipſius ſemper: quia veniet
Silo, & illi obedientia populorum. ער denotat usq; &
ſemper, ſive in perpetuum, ut in Pſalmis וער לעולם ſemper
& in aternum, & in Minhagim Judaorum frequentiffimè, &
כי quoniam, ut notum. Particula igitur ha non conjungende
ſunt, ſed ſeparanda, & ſic ſenſus manifeſtus erit: quæ omnia
tamen

tamen absq; ratione afferuntur. vid. שלשלת המקראות. *Clar. Ledebury* p. 404. neq; existimo à D. Wichmanno ineptam illam approbari versionem. Dein ulterius præsuppono per שילה hic intelligendum esse מלך המשיח ut רש"י loquitur in Comment. ad præsentem locum: nam neq; contra Gordonem Huntlaum disputamus, qui pro שילה fingit שילה, cum quo facere videtur Flacius in *Clave Scr.* p. 1. Col. 1143. quod satis superq; refutavit B. Glafs. in *Philol. Sacr.* lib. 1. Tract. 1. Sect. 11. p. m. 50. neque cabalisticam exercemus Magiam, ut cum בעל הטורים in numeris mysterium quæramus vid. Glassii *Philol. Sacr.* lib. II. Part. I. Tr. 11. p. m. 304. His jam præsuppositis, constat, jam ante natum Christum sublatum esse Sceptrum de Judâ, seu ut Excell. D. Gerhardus in Comment. ad Gen. p. 840. loquitur, *Gubernationem posteris Judæ jam tum esse ademptam, quando venit Messias*, aut si hoc admittere nolueris, ita ut cum Christo surgente adhuc floruisse gubernationem Judæorum contendas, constat tamen, non semper Judices & Magistratus, vel quicquid tandem per שבט & מחקק intelligas, extitisse ex Judæ posteris (מבני בנהוי sive ut Targum explicat מבני רגליו) quamvis plurimos è tribu Judæ fuisse concesserim. Sic Gen. XV. c. 13. DEUS Abrahamo prædicit, ejus posteros per CCCC. annos in Ægypto duriter habitum iri, ubi non existimandum, continuo temporis tractu illud esse factum, sed per intervalla. Patet itaq; non adeò strictè semper verba esse sumenda, & loca Jeremiæ & Chronicor. esse de maximo servitutis spatio quidem explicanda, ita tamen ut & Neriglissororo & Nabonnedo suum maneat spatium.

7. Si enim adeò strictè verbis esset inhærendum, quomodo mihi LXX. annos Captivitatis Babylonica supputaveris, nisi absurdum Josephi computum admiseris, cujus falsitatem in priori Disputatione par. 15. satis superq; demonstravimus. Sed D. Wichmannus in *Συναγωγία*, quam Chronologia Sacrae adjecit, ita LXX. hos supputat annos, scilicet 8. annum Nebucadnezaris facit Captiv. Babyl. initium, cum verò ille 43. regnârit annis, numerandi in præsentia veniunt anni
Nebucad-

Nebucadnezaris	36.
Evilmerodachi	18.
Belzafaris	14.
Darii	2.

70.

Si jam hinc prævios haberet Autores fide dignos Wichmannus, benè se res haberet, verùm cum nimia hinc se offerant salebræ, assensum illi dare neutiquã possumus. Primùm miror, immisceri hinc Darium, cum tamen ipse adeò strictus sit in recensione posteriorum Nebucadnezaris, ut cum Belzafare LXX. annos finiendos esse contendat. Dein miror, Wichmannum sequi Josephum & ejus historiam, quam Lib. X. Antiquit. Jud. C. XII. habet, quæ tamen adeò à vero aberrat, ut ipse etiam meliùs sapere didicerit in Lib. I. contra Appionem, ubi verum veri & genuini Berosi fragmentum nobis exhibens, ejus *conscriptionem fide dignam* esse refert. Joseph. p. m. 829. Verùm ità D. Wichmannus, ut video, Josephum citat, ut pro lubitu ejus computù vel minuat, vel augeat, minuit Josephum, dum Niglissaris (quem Josephus Abilamarodochi facit filium) 40. omittit annos, dein neq; 9. mensium Labosardochi meminit, Belzafari verò tantùm 14. annos numerat annos, cum tamen Josephus expressè dicat Lib. X. Antiq. c. 12. p. m. 277. *Sub Belzafare capta est Babylon anno regni ejus decimo septimo.* Si jam Josephum pro fide digno habet, quare non integrum assumit computum, sed ex propriâ mente, quicquid arridet, fingit, refingit?

8. Sed nolumus his ulteriùs immorari. Maximum, quod Historicos multos movit, dubium oritur ex Herodoto Halicarnassensi, qui inter profanos Scriptores, quorum monumenta ad nostram usq; ætatem transmissa sunt, facilè excellit, quippe qui tempore Xerxis & Artaxerxis Longimani floruit Scal. in Proleg. in tr. de Emend. tempor. p. 32. cujus laudes prolixè apud Cameraarium & Stephanum invenies, hic nimium nobis contradicere videtur, dum lib. 1. s. in Clio p. 86. ità, postquam nonnulla de Nitocride recensuisset, pergit. *Ὁ δὲ κῦρος ὅτι τεῦτης τῆς γυναικὸς τὸν παῖδα ἐστρατεύετο, ἔχοιτὰ τε ἔ παιρὸς ἔ ἐωῦτὲ ἴσνομα λαβὺν ἴτ' ἔ τῶ ἄσσεῖω δέχιν.* Hisce verbis nimium sibi placet D. Wich

B

Wich



Wichmannus, dum ea recenset in Chronol. S. p. 164. in auct. p. 90.
 p. 113. p. 117. & c. Unde argumentum tale nobis opponit. *Quicumque*
est Labynitus, quem Cyrus bello aggressus est, ille est à stirpe Nebucad-
nezaris. Nabonedus est Labynitus, quem Cyrus bello aggressus est. E-
Nabonedus est à stirpe Nebucadnezaris. Major nititur testimonio He-
rodoti, asserentis Labynitum hunc esse filium superioris Labyniti, hoc
est Nebucadnezaris Patris. Minor est ipsorum Antagonistarum. Con-
clusio igitur est certa. Verum enim verò nondum adeò certa est,
cùm multa adhuc in præmissis desiderentur: negamus n. omninò
majorem propositionem; ad locum Herodoti quod attinet, variè
responderi solet. Illustris Scaliger in tract. de Emend. tempor.
p. 579. falsitatis Herodotum arguit. Dum ita ait: Falsò Herodotus
scribit, ultimum Regem Labynitum esse Labyniti magni filium, cum
Labynitus ultimus fuerit advena. Et si dicendum, quod res est,
Herodoto nostrum assensum dare ne utiquam possumus, cum ni-
miùm hoc in loco impingat; nullam enim ratione ipsius assertio
defendi poterit, dum non tantum victum hunc Labynitum Patris
Imperium habentem à Cyro, sed etiam filium esse Labyniti supe-
rioris scilicet Nebucadnezaris referat, quod ab adversariis ne-
utiquam probabitur, cum ex S. Scripturâ, quæ est testis omni ex-
ceptione major, contrarium nobis pateat: quid enim de Evil-
merodacho fieret? quid fieret de Belzafare nepote? qui quamvis
Dan. V. dicatur filius, ¶ tamen notat nepotem, quod sæpissimè
aliàs accidit: sic Laban. Gen. XXIX. c. 5. dicitur בן נחור, cum
fuerit ejus nepos & Bethuelis filius, Frater Rebeccæ. Gen. XXV.
15. vid. Harmon. B. Waltheri p. 657.

9. Cum itaq; Herodotus hoc in loco non adeò nobis pro-
 betur, si non defendere, excusare tamen quodammodo illum
 conabimur. Hoc itaq; monendum, neq; Herodotum omnia, quæ
 scripsit, credidisse, noli tamen putare, illum ex vanâ libidine no-
 bis falsa narrare: accuratissimè enim discernit inter illa, quæ au-
 divit, & quorum ἀλόγητος fuit, hinc sæpissimè addidit suum, ut
 dicunt, ut perhibent. In Euterpe s. lib. II. ait: ἔγω τῶν μὲν κατὰ
 τοιοῦτων ἀκοῆν ὡς λαβόντες λέγομεν, τὰ δὲ ἀνω μέζονα ἀν-
 θρωπῶν ἔργων αὐτῶν ὡς ἔωμεν. In Polymniâ s. Lib. VII. apertè
 fatetur, se narrare illa, quæ ab aliis accepit, non verò omnia
 credere, ἐγὼ δὲ, ait, ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαι γέ μιν ἢ
 πάντες

παντα πασι οφειλω. Propterea etiam in presenti loco Nitocri-
dis historiam finiturus, apponit hæc verba, αὐτὴ μὲν νῦν ἡ βα-
σίλεια, πρῶτον τις λέγειται γενέσθαι. Et his statim annectit, quæ de
Labynito ante attulimus, atq; hinc majorem omninò fidem ha-
bem⁹ Herodoto, cum Persarum historiam recenset. Huc demum
accedit Clar. Stephanum præsentem locum suspectum habere,
cum ea, quæ immediatè sequuntur, aliò referenda esse velit, unde
si conjecturis esset indulgendum, locus hic corruptus fortassis
posset statui, quam tamen sententiam non facimus nostram.

10. Sed neq; hætenus causâ cadendum existimant Anta-
gonistæ, & ut agrè nimiùm nobis faciant, Darium Medum Re-
gem Medorum & Persarum constituunt, & inde hunc in modum
Wichmannus auct. p. 121. concludit. *Cujus Regis Successor legibus
Medorum & Persarum ita adstrictus est, ut his nihil contrarium in
regno facere possit, is est ultimus Babyloniorum Rex. A. Belzasis
Successor Darius Medus ita adstrictus est legibus Medorū & Persarum.
E. Belzasar est ultimus Babyloniorum Rex. Min. patet ex Dan. VI.
c. 9. Major certa est (ut ille ait) ubi enim jus & leges Medorū & Per-
sarum ita regnant, ut ne Regi quidem contra illas quicquam agere
liceat, ibi Babylonicum Imperium administrat vel Rex Medorum &
Persarum, vel Regis Medorum & Persarum vicarius.* Sed neq; hæc
sufficiunt ad evertendam nostram sententiam. Possem quidem
cum illustri Scaligero & Clar. Calvisio hæc ad Susas s. Susianam
adstringere regionem, de quâ Scaligeri in proleg. ad tr. de E-
mendat. temporum p. 36. ait: *Hoc ibi actum est, ubi Daniel erat,*
nempe in præfecturâ ipsius Susianâ, cujus erat Satrapes C. VIII. 2. qui
enim unus ex tribus Megistanibus regni esset, ut est, C. VI. 2. non habi-
tasset Susis sine Imperio. In quâ responsione multa supponi, quæ
vera non sunt, neq; unquam probari possunt, existimat Wich-
mannus: non n. sequi, ait, Daniel Susis fuit, Ergò ibi Præfectus,
sed si modò Scaligeri verba accuratiùs pervolvisset, huic obje-
ctioni jam tum fuisse satisfactum sensisset ex Dan. VI. 2. Sed nolo
hæc urgere, cum alia sint, quæ huic satisfaciant argumento.
Primùm moneo, ex illâ assertione sequi, Darium non tantùm
Mediæ, sed etiam Persiæ Regem fuisse, an verò hoc ab adversariis
concedatur, dubito. Dein quod palmarium est, omnè omninò
nego consequentiam, illum qui lege alterius gentis confirmat,

statim istius gentis esse Regem. Notum n. est, ex Justino, Julio Cæsare, aliisq; Scriptorib9, victorem victis hoc sæpius indulgere, ut suas liberè obtineant leges. Sic *Artaxerxes Rex Persarum legatos in Græciam misit, & civitatibus libertatem suaq; omnia restituit*, ut Justinus habet lib. VI. c. 6. p. m. 201. Inde Cæsar lib. I. de bello Gallico p. 49. ait: *Si Judicium Senatus servari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello victam suis legibus uti voluisset.* Vel si hoc minus ad propositum facere videtur, & Regis alius, alienæ etiam gentis leges assumpsisse in propatulo est. Unde enim legis XII. tabularum (quas Cicero lib. I. de Orat. *Autoritatis pondere, & utilitatis ubertate omnes reliquas superare predicat*) nisi à Græciâ? Hinc Florus lib. I. *Rerum Romanarum Cap. XXIV. p. m. 101.* ait: *Allatas à Græciâ leges decem principes lecti, jubente populo conscripserant, ordinataq; erat in duodecim tabulis tota justitia*, quas leges veteres Romani Draconis & Solonis dixere leges. Possem jam argumentū struere tale: Quicumq; secundum leges Græciæ judicat, est Rex Græciæ, juxta opinionem adversariorum. Romani, ut ante dictum, secundum leges Græciæ judicârunt. E. jam tum fuerunt Reges Græciæ. Incongruè satis.

II. Imò si hodiernos Regnorum conferamus status, facileprehendemus, jura alterius regni obtinere in regione diversâ, quæ eas ut æquiores agnoscit. Sic Jus Saxonicum aliis etiam in locis obtinere, quis non novit? Huc etiam referri potest, in hodierno imperio non eandem obtinere legem, cui omnes ex æquo pareant subditi, quod etiam ex Vicariorum officiis patet, cum Palatinus Rheni Elector sit vicarius in partibus Rheni, quibus vicina Franconia & Sveviâ, in eâ tamen Franconiæ parte, in quâ Jus Franconicum viget: Saxo verò Elector in iis locis vicaria exerceat, in quibus Jus Saxonicum servatur, quemadmodum refert *Georgius Braudlacht. in Epitom. Jurisprud. publicæ universæ p. 70. 71.* Et ut obiter quædam intermisciam, *Clar. Ursinus in Analectis sacris Volum. I. p. 281.* agit de verbis Dan. V. c. 27. תקולתא במאזניא והשתכחת חסור B. Lutherus, *Man hat dich in einer Wage gewogen/und zu leicht gefunden.* Quibus ad Persarum legem respici existimat, de quâ Aristides Orat. 2. Platon. tom. 3. *Persis ferunt esse legem, ut criminis cujusdam accusatum, quamvis convictum, non condemnent, priusquam justâ quasi trutinâ examinarint,* & in-

Et inter se compararint, quæ rectè, & quæ pravè designasset, quod si benefacta preponderent, qualibet manifestè injustis ignosci lege constitutum esse. Hoc an ita se habeat, in præsentia non disputamus, si verò alius inde arguere conetur, Belzafarem Persam fuisse, propterea quod ritu Persarum sit iudicatus, Virum illum clarissimum vix passurum, mihi persuasum habeo. Sed hæc obiter.

12. Cum objectionibus *Wichmanni* maximâ ex parte sit satisfactum, alia, quæ ad Disputationem præsentem faciunt, brevibus addemus. Satis in priori Disputatione, ni fallor, dictum est, Darium Medum Scripturæ eundem omninò fuisse cum Ναβον ἡδω Berosi s. Ναβονιδόχω Megasthenis, cum uterq; fuerit ultimus primæ Monarchiæ Rex, à Cyro victus, & quæ sunt reliqua *πικρήρια*, quæ veritatem nostro thesæos evincunt; Verùm si *Josephum*, prout ille *Lib. X. Antiquit. Jud. C. XII. p. m. 276.* hanc nobis recenset historiam, consulamus, fingit ille nobis Nabonedum, qui in Scripturâ Belzafar audit. Sic verba habent: *Post mortem ejus (Labofardochi) transit (regnum) ad Belzafarem, qui Babylonis Naboandel nominatur.* Verùm absurdè satis, cum Nabonedus Berosi (si equidem intelligatur) extraneus fuerit *πρωτόκων οὐ δὲν* secundùm Megasthenem. Belzafar verò nepos Nebucadnezaris *Dan. V. II. &c.* quam quæstionem benè explicatam vide apud *D. Wichmannum* in auct. p. 117. quamvis in eo falsus sit, quod nimium sibi tribuat cum Labynto illo *Herodoti*, quem nos hætenus cum Nabonnedo eundem esse contendimus. Vid. th. 8.

13. Pergit *Josephus* libro citato, & Cyrum cum Dario Medo Belzafari bellum intulisse contendit, quæ sententia illis favere fortassis poterit, qui vel soli Dario, vel Dario & Cyro simul Babylonis expugnationem tribuunt. Qui solum Darium agnoscunt victorem, argumenta petunt ex *Esa. XIII. c. 17.* ad quam sententiam inclinare videtur *R. Abarbinel* in *מעני הישועה* p. 37. Col. 1. dum ait: *זכר הכתוב שדריוש המדי שהיה בראשונה מלך מדי קבל מלכות בבל* mentionē facit Scriptura, quod Dario Medo, qui ante fuit Rex Mediæ, acceperit regnū Babel. Propterea ille locū *Esaia* de Dario explicat. vid. *ejus Comment. p. 29. col. 4. sic R. Salomo Jarchi, & R. David Kimchi.* Verùm si rem diligentius consideremus, nullo modo inde probabitur, quod adversarii volunt. quis enim ignorat Cyrum non tantum

Persarum, verum etiã Medorum Regẽ fuisse, unde etiam eo tempore, quo utrumq; tenuit regnum, modò ab hoc, modò ab illo appellatus fuit. Sic refert Herodot. in Clio. p. m. 95. quod Tomyris Regina ad Cyrum adversus Massagetas bellum molientem, caduceatorem miserit, qui diceret. Ὁ βασιλεὺ Μήδων παῦσαι πρὸς τὰ πρὸς εὐδαίμων. Cujus generis alia etiam & plurima afferri possent exempla.

14. Qui verò Dario & Cyro simul expugnationem Babylonis tribuunt, in partes vocant locum Esa. c. XXI. 2. vid. Christian. Matthiæ de 4. Monarch. p. 136. Verba hæc sunt: עליו עולם צורי מדי; ubi per עולם Persas intelligunt, per מדי Medos; Verum si dicendum, quod res est, quis non videt, hæc optimè de Cyro explicari posse, ut rectè à רש"י & רד"ק & ex illo à שלמה בן מר"ן in מכלל יופי ה' factum: notum enim est, Cyrum & Persas & Medos sub imperio suo tenuisse. Herod. lib. I. p. m. 61. ex quibus exercitum sibi collegit, & ita Babylonem expugnavit; sic Curtius lib. III. par. 2 p. m. 22. dum Darii mentionem injicit, refert, in ipsius Exercitu fuisse Persarum centum millia, in quibus eques triginta millia implevit, Medos verò decem equitum, quinquaginta millia peditum habuisse. Quid igitur impedit, hoc loco, & Medos & Persas, quos in Exercitu suo Cyrus habuit, intelligi?

15. Relinquitur itaq; nobis Darius noster intactus, qui diversus meritò à Belzafare statuendus, quod probè etiam animadvertit Vir Clariss. Wilhelm. Langius, quamvis in eo falsus sit, quòd Dariũ cum Astyage Cyri avo confundat, ita lib. II. de annis Christi C. 14. p. 321. loquitur. Tum (occiso Belzafare) Chaldaei s. Babylonij Nabonedo cuidam s. Labynito conjurationis socio Imperium demandarunt; Nitocris verò prudentissima summæq; auctoritatis fœmina, cum videret suis extinctis alienos Imperij uti, nec sibi illud administrare licere, fratrem Astyagem accersivit, Medis tum Persisq; latè imperitantem tradere conata est. Sed sapientes ac Principes videntes se tali ac tum potenti Regi resistere non posse, cum propter maximam illius istis temporibus potentiam, tum etiam propter eorum perfidiam, qui Regina partibus faventes, Astyagem libenter admissum volebant, securitatem pacti, Astyagi se dediderunt, eumq; pro Rege receperunt. Qui, ut pro hoc officio aliud ipsis redderet, Regem quem ipsimet sibi designaverant, Proregem constituit, Gesta sunt hæc an. Per. Jul. 450 Astyagis XVII. ætatis ipsius LXII. atq; ita Astyages, qui alio nomine Darius vocatus fuit, Cuaxaris (qui Ebraicè scribere.

scriberetur קואחשורו à Daniele autem omisso קו primo nomine, quod principem aut δωάσιν denotat, אחשורו vocatur) filius Rex Babylo-
nia & Chaldeorum factus est. Verùm, hæc contra omnem historiæ
fidem asseruntur, cum ex nullo Veteri Classico Auctore hoc probari
possit, ut Scalig. in Proleg. ad tr. de Emendat. temporum p. 31. loqui-
tur, nisi quod Xenophontis πειδεία κβεγ in partes vocetur, in quâ
tamen nihil verum est, præter sola nomina, & nudam mentionem
duorum aut trium casuum, tempora verò & series rerum gestarum & c.
omnia vera sunt, si vera sunt Æthiopica Heliodori, verba sunt Scaligeri.
Consule, si placet, quæ habet Clar. Wichmannus in Chronol. Sacrà
p. 162. in auct. p. 94. ubi tamen multa desideramus, à veritate
alieniora.

16. Quamvis Opinio illa non ferenda, absurdior tamen hæc
est, quam Hieronymus C. IX. ad Dan. Porphyrio tribuit: Darium
hunc Medum fuisse Darium Hystaspis filium, qui per hinnitum equi
regnum occupavit. Ansa fortassis hujus opinionis illi data est ex
Justino lib. I. C. X. p. m. 40 qui Assyrios descivisse, & Babyloniam occu-
passe, ita ut difficilis fuerit expugnatio urbis, refert. Idem ex Herodoti
Lib. III. videre est. Verùm enim verò distingvenda sunt tempora:
nam Expugnatio Babylonis, quæ facta est à Dario Hystaspis bene-
ficio Zopyri, qui verberibus totum corpus laceravit, & naso, auribus
atq; labiis præscissis, in castra Babyloniorum transit, & ab ipsis
omnium suffragio Dux constitutus, Dario creditum sibi exercitum
prodidit, urbemq; in potestatem Darii redegit: hæc, inquam, Ex-
pugnatio diversissima est ab illâ Cyri, qui fluvium Euphratem aliò
derivans, inopinatò Babylona cœpit. Vid. Herodotum lib. I. p. 88.
Huc accedit quòd Darius Medus à Dario Hystaspis filio differat ra-
tione Patriæ, ratione Patris, & ratione ipsius regni, vid. Christian.
Matthie Theatr. Hist. p. 133. & Gesner. in Disput. ad cap. VI. Danielis.

17. Absurdissimè verò statuitur, Darium, cujus mentio in Pro-
phetiâ Danielis, esse Darium cognomento Nothum s. Syrium, quæ opinio
est Joannis Georgij Herwart. J. H. D. quam fovet in novâ, verâ, & ex-
actâ Chronologia p. 12. C. L. quippe quæ opinio non tantùm omnem
Chronologiæ evertit veritatem, sed contraria est historiæ tam sacræ
quàm prophanæ, Dan. c. VI. Successorem Belzaris fuisse Darium
Medum perhibetur, assumim9 assertum hoc ut certissimum, & veris-
simum, Darius verò Nothus fuit sextus Persarum Rex, qui 126. cir-
citer

citer annis post Belzafarem regnare cœpit, quid igitur de hoc intervallo statuendum? Num fortassis relegandum erit? vel somno consumptum dicetur? *Cyrum item Danielis esse Cyrum secundum s. minorē, non autem primum magnumq; refert.* Concedit itaq; nobis dari Cyrum, qui secundæ Monarchiæ Autor fuit, eumq; Magnum vocitat, & à minore Darii Nothi filio distingvit, quem Patre Medum, Matre verò peregrinâ & Babyloniâ ortum narrat. Si verò conferamus historiam, patet, Cyrum hunc natum esse ex Parysatide, quam nonnulli sororem Artaxerxis Longimani, alii verò filiam ejus faciunt, relinquitur hoc, non fuisse eam peregrinam. Dein Cyrus, qui captivitatem solvit Babylonicam, necessariò fuit magnus ille, & primus, in quem cadere debuit annus septuagesimus, à Nabuchodonosoro per ejus filios & Successores numerandus. Verùm *Belzafarem Danielis Belesin Assyrium, cujus meminit Xenophon fuisse* perhibet, sed quo loco Xenophon habendus, toties dictum est, vid. *Disput. I. par. 8.* imò si mentem exprimere liceat, absurda ad eò opinio hæc, ut illi diutiùs inhærere, operæ pretium non videatur.

18. Et hæc de Dario retulisse, sufficiat, ubi de plurimis Objectionibus Adversariorum egimus, & quidem de illis, quas recentiores, nobis opponunt Historiographi, reliquas ab *illustri Scaligero, Calvisio*, aliisq; satis expeditas, suo loco reliquimus. Animus quidem erat rationes *Constantini L'Empereur*, quas in *discursu ad Lectorem paraphrasi Josephi Jacchiada præfixo* nobis opposuit, examinare, sed cum partim ex jam dictis possint explicari, partim etiam leviora sint, ad publicum conflictum, si occasio dabitur, reservamus.

שבח לאם בורה עולם :

In honorem Præstantis. atq; Erud. Dn. RESPONENTIS,
Disputationem Philos. Historicam publicæ proponentis.

Sic est, cur patriis, nosti, sis missus ab oris,
Ut redeas variâ doctus ab arte Domum.

Hinc bene difficiles tentas defendere nodos

Darij Medi sedulitatis opus.

Conatus hos laudo Tuos, HERMANNE, proboque,

Perge ita, sic Patriæ commoda multa feres,

Atq; hinc evinces, quod VIR sis nomine reque,

Ipsâ, sicq; TIBI nomen in omen abit.

Johannes Meisnerus, D.



Ad Eximium & Literatissimum

DN. RESPONDENTEM, Contubernalem & Amicum meum per dilectum.

Est ita, solertis contendit ad ardua virtus,
Hoc probat exemplum dulcis Amice tuum.
Ardua moliris, res est dignissima laude.
Pergito, sic studiis digna brabea feres.

Amicè gratulans
apponeb.

M. Henricus Bröfelmann.

Ad Dn. RESPONDENTEM,

Sobrinum & Amicum suum.

Dum de DARIO jucundo differis ore,
Applaudo, & factum laudo, Sobrine, tuum.
Scilicet Historicae studium prædulce bonumq; est,
Atq; affert publicæ commoda multa rei.
Perge, ut cœpisti, Musis litare, sequentur
Præmia, vix ullis deperitura modis.

Christianus Hermannus.

Dum vindicas annalium fidem priscam,
HERMANNE, testem temporum, vetustatis
Quæ nuntia est, vitæ magistra fœcunda
Lux veritatis, vindicas, quis optatum
Factum improbaret? ipse auguror, tempus
Haud immemor facti, tuam efferet famam.

Hæc Doctissimo Dn. Hermannno suo
L. M. q; adjecit

M. Petrus Schultetus,
Præses.

C

Suo

Suo

Martino Frid. Hermannno.

Non abs re dictum: Labor improbus omnia vincit,
Hoc tua sedulitas provida ritè probat.

Namq̄ indefessis studiis sub Præside claro
Discutis ingenij nobilioris opes.

Macte animo! perges caput exeruisse per artes,
Doctus & eximius Vir Patris instar eris.

DN. RESPONDENTI
amico suo dilectissimo ita gratula-
bundus ominabar

Johannes Adolphus Tiedemann.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

33

Historica
A

MEDO,

Vittebergenfi
lationi

DE
HULTETO,
ensfi,

ENTE
CO HERMANNNO,
nico,

, cl^o l^o LXIII.

Minori.



RGÆ,

ELIS Wendt.

